

sibi persuadet, quod forma praeterita utatur TACITVS. Demus tandem hoc illi, ne obtrectandi studio teneri nos aliquis existimet. Neque tamen vel sic omnem scrupulum ex animo nobis euulsam esse lubenter confitemur. Serui quidem esse non poterant, quia mater adhuc libera erat, aequae autem minus libertini, quoniam in seruitute nunquam fuerant. Libertini enim tantum habentur, qui ex iusta seruitute manumissi sunt<sup>(u)</sup>. SALINERIO autem, si LIPSIO quaerenti, quemadmodum libertus esse possit, qui seruus nunquam fuit? reponit, quo pacto mulier dici possit liberta, quae non seruierit? respondere nobis liceat cum magno GRONOVIO (\*), haec non esse paria. Liberos enim nil tale merentes, tam atrocem poenam subire, matrem vero nefarie pollutam impunem in statu suo seruare, quis non crudele dicat, atque immanum? Quam vero iustius hoc, eam, quae in seruiles amplexus impudica irruerat, vel saltem ingenuitate priuari. Vere enim  
 FLAVTVS:

*Qui bono sunt genere nati, si sunt ingenio malo,  
 Suoapte culpam generi capiunt, genus ingenio improbant (y).*

(u) L. 6. D. de stat. hom.

(x) ad TACIT. Ann. XII. 53.

(y) Mercat. V, 4, 8. recepi au-

tem coniecturam I. F. GRONOVII.

---

## QVAESTIONES IVRIS,

ut amplior sit disputandi materia, adiectae.

### I.

**P**er Nov. CXI non abrogatum est beneficium praescriptio-  
 nis C annorum ecclesiae Romanae concessum.

C 3

II.